

inter eos, qui a Johanne vel Christi discipulis baptizati sunt, etiam latro ille fuerit, dubium tamen non est, si ante crucis supplicium baptizatus non fuisset, quod ἀδελφός Paradisum ingredi potuisset. Quod non invito Augustino asserimus. Dicit enim g) sine visibili sacramento corde credi ad justitiam & ore fieri confessionem ad salutem, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

b) libr. 4. cap. 22. c) libr. 3. quest. 84. d) libr. 2. retract. cap. 18.
e) ibid. cap. 55. f) lib. 1. de anima et ejus orig. c. u. g) lib. 4. de baptism. cap. 22.

§. XXV.

Ambrosius in suis scriptis baptismi necessitatem passim urget. Asserit h) neminem ascendere in regnum cælorum, nisi per sacramentum baptismi, item in verbis Christi ad Nicodemum dictis nullum excipi, non infantem, nan aliqua præventum necessitate. i) Asserit, sine aqua non esse regenerationis mysterium, & Catechumenum, nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, non posse remissionem accipere peccatorum, nec spiritualis gratie munus haurire. k) Veruntamen idem Ambrosius Valentinianum Imperatorem sine baptismo, at non sine voto baptismi mortuum, gratiam, quam poposcit, impetrasse minime dubitat, l) unde ea, quæ alibi de baptismi necessitate disseruit, non de absoluta necessitate intelligi debere manifestum est, nisi sanctissimum Præsulem sibi met ipsi contradixisse statuamus, aut cum Abaelardo dicere velimus, quod Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani, ut sororum defuncti animos leniret, contraria fidei scripserit. m) A qua sententia longe alienus fuit S. Bernardus, qui in necessitatis articulo fidem & votum baptismi sufficere probaturus ad Ambrosii autoritatem provocat, quem animavertit homini non baptizato & mortuo fidenter de sola fide salutem præsumere, & tribuere indubitanter bonæ voluntati, quod defuit facul-